

Bibliothèque numérique

medic@

**Cervenon, Louis-Benoît - candidat /
Lebas, Jean - président. - De femoris
fractura**

1762.


***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°87



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0087](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0087)



ILLUSTRISSIMO AC NOBILISSIMO VIRO
 ANTONIO-LUDOVICO-FRANCISCO
 LEFEVRE A CAUMARTIN,
 EQUITI, MARCHIONI A SANCTO ANGELO,
 COMITI A MORET, DOMINO A CAUMARTIN, BOISSY-LE-CHATEL,
 DORMEILLES, &c.
 REGI A CONSILIIS, LIBELLORUM SUPPLICUM MAGISTRO,
 APUD BELGAS ET ATREBATES REI JUDICIARIE PRÆFECTO,
 Patrono suo colendo, vovet, dicat & consecrat LUDOVICUS:
 BENEDICTUS CERVENON, Chirurgiæ Candidatus.





ILLUSTRATION OF A NOBILISSIMO VIRO
ANTONIO LUDOVICO FRANCISCO
DE FERRE A. CAUMARTIN,
EQUITI, MARCHIONI, SANCTO ANGELO,
COMITI A MONTI, DOMINO A CAUMARTIN, RESIDENTE IN
ROMA, ET
ADRIANO CONTE, LIBRARIUM SECTUUM MAGISTRO,
ADRIANO DEBARTATIS RECTORI LARICI TRACTATO,
PONTIS DE MONTI, VITI, ET A. LARICI LARICI,
BENEDICTI DE MONTI, LARICI LARICI



DE FEMORIS FRACTURA.

T H E S E S ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



N omni re Chirurgicâ , decet Chirurgum excellere: Vita autem cum sit brevis & ars longa , suum tuitiùs adimplebit munus , si unicum inter alia susceperit. Hâc de causâ , fracturam Femoris tantummodò seligimus. Facilior erit labor , posteaquam Anatomicos partis susceptæ , calles perlustraverimus.

PARTES corporis omnes solidis & fluidis constantur ; ergo &

partes superiores extremitatum inferiorum, quæ Femora dicuntur. Solida verò earumdem dividuntur in duras partes quæ ossium necnon cartilaginum nomine donantur; & in molles, quæ membranas, ligamenta, musculos, tendines, nervos, aponevroses, tunicas vasorum, tegumenta que communia complectuntur. Fluida vocantur humores quicumque, ope quorum cæteræ partes irrorantur.

(a) Winslow. pag. 93.

Os quo stabilitur Femur unicum est (a) subtranco positum, & Femoris nomen retinet. Figura ipsius ferè cylindrica. Capite superius, speciem globuli secti exhibente, & cartilagine munito, in medio cuius sculpitur exigua cavitas ad insertionem, ut aiunt, rotundi ligamenti colloque obliquo inhærente: duobus verò condilis inferioribus, quorum internus longior externo, terminatur. Inter utramque extremitatem pars posita corpus Femoris audit, cuius facies anterior convexa, posterior autem à lateribus paululùm depressa, desinit in lineam asperam quæ supernè & infernè divisa, illinc ad duas tuberositates quarum altera major, altera minor, trochanteres dictas, hinc verò ad condylos divergit. In parte mediâ & à latere interno lineæ asperæ huiusce, ductus unus, quandoque plurimi reperiuntur. In superficie minoris trochanteris nulla, dum in illâ majoris, plures observantur facies. Ponè magnum trochanterem fossula deprehenditur, quæquidem, sicuti & facies, variis musculis præbet adhæsiõnem; duos inter condilos videre est à parte anteriori incisura minor patellam excipiens, cum à posteriori, altior, ad transitum vasorum efformatur. Caput huiusce ossis per enarthrosim cum cavitate cotyloideâ, condili autem cum tibiâ & patellâ per gynglimum conjunguntur. Tribus gaudet substantiis femur, nempe compactâ, cellulosâ, & reticulari. Tegitur extûs membranâ periostæum dictâ, cuius auxilio vasa sanguifera, limphatica, nervique simul substantiam ossis internam penetrant, tum propter ipsius nutritionem, cum propter substantiæ medullaris in cavitate interiori contentæ, secretionem. Sicut extûs, ita intûs, periostæum reperitur pari munere gaudens.

(b) Idem author pag. 210.

QUATUOR DECIM musculos annumerant Anatomici Femur moventes (b); tres ope quorum flectitur, psoas, scilicet, iliacus & pectinæus; extensor unus reperitur qui dicitur glutæus major, abductores duo, minor, minimusque glutæi, adductor unus, nempe triceps: extûs autem in orbem versatur, piriformi, gemellis, quadrato, obturatoribusque interno & externo juvantibus: priores quatuor uno nomine nempe quadrigemellorum in-

figlire decreverunt ; fasciâ-latâ, verò intùs agitur.

CRUS musculos decem (a) complectitur, extensores quatuor, rectum-gracilem, cruralem, vastum internum & externum : sex flexendi vim habentes, sartorium, semi-membranosum, semi-nervosum, bicipitem, gracilem-posticum, popliteumque ; intùs illo ; longoque capite bicipitis agente, crus extùs semi-rotatione movetur. (a) Winslow. pag. 218.

NERVI cruralis anterioris efformatio tertio, quarto, & quinto, quandoque priori & secundo pari lumbari (b) debet originem. Ab illius autem nervi trunco fibræ nascuntur, psoam iliacumque roborantes, ipsius abdominis ab exitu, quatuor saliant rami, præcipuos musculos internos, anteriorefque, imò tegumenta penetrantes ; ab arteriâ autem crurali secedens, musculum sartorium sequitur, ad tibiâ tandem perventus saphenam venam concomitatur : ab illâ propè malleolam internam discedit, & tegumentis vicinioribus distribuitur. Cruralis posterior ischiaticus major vocatus, ab ultimo pari lumbari ducitur nec non ab ossis sacri paribus tribus ad ipsius efformationem inter se junctis, sic fabricatus ischiaticus, ab intercostali quo cum primo pari sacro jungitur, ramum accipit. (b) Idem auth. pag. 457.

AOBTA ad ultimam circiter lumbarem perventâ vertebam in duos ramos dividitur (c) Iliacorum nomine donatos, quorum divisio ad utrumque latus duplex fit, & cui nomen speciale dupliciter tribuitur (d). Iliacæ internæ prior, alter internæ vel hypogastricæ nomen retinet, ab utroque rami proficiscuntur varias partes irrorandi causâ ; ipsarum extremitas desinit in cruralem quæ divisionem duplicis trunci patitur, externi nempe partem externam Femoris, & interni, (quiquidem major,) partes internas alluentis, à quo poplitæi, furales, tibiales, & pedis ramusculi nullo insigniti nomine ducuntur. (c) Idem auth. pag. 386. (d) Idem auth. pag. 413. &c.

VENÆ si saphenam exceperis, à crurali (e) posterius venientem, non alio nomine ac arteriæ designantur. (e) Idem pag. 418.

EX CHIRURGIA.

FEMORIS fracturam definimus ossis hujusce solutionem à causâ contendente productam. (f) Sed ut illa continui solidi solutio diversimodè, sicuti in superiori (g), mediâ, aut inferiori parte, & etiam in collo ossis potest accidere, & esse aut transversalis aut obliqua cum accidentibus majoribus, minoribusvè, illam in (h) incompletam, completam, simplicem & complicatam dividimus. (f) Col. de Vitrars pag. 1 Tom. V. (g) Clariss. Petit. pag. 163. Tom. II. (h) Clariss. Russel in obs. Acad.

CAUSÆ.

(a) Enciclop.
Tom. 7 pag. 270.

Simplicem quæ accidit in parte mediâ tantummodo amplectimur. CAUSAS hujusce fracturæ in internas & externas segregari operæ pretium videtur. Internæ sunt illæ quæ à fluidis primo ducunt originem, veluti caries, exostosis, mollities, lues venerea, scorbutus, rachitis, cancer & scrophulæ: de omnibus sermonem habere diffusius inutile. Externæ causæ sunt illa omnia accidentia quæ extûs animadvertuntur, sicuti (a) ictus, lapsus qui continui solutionem suppeditant. Quomodo id fieri possit deprehendetur ex debilitate corporis percussi, & potentiâ corporis percutientis. Corpus percussum si validius corpore percutiente, aut nulla fiet solutio aut solum partium corporis percussi concussio, undè imperfecta, si fortius corpus percutiens, perfecta orietur ruptura.

SIGNA.

(b) Eod. Tom.
& ead. pag.

PROGNOSIS.

Quo partibus mollibus pluribus deffenditur pars ossea, eo minorem exerit potentiam in corpus osseum; hinc, quo musculorum numerosior copia, eo frangibilitas ossis difficilior. Varia insuper habetur fractura pro variâ lineâ quam os fractum describit. In raphanum, fistulæ rostrum, & juxtâ longitudinem frangi potest. Raphanus transversalem, fistula obliquam exhibent lineam.

SIGNA fracturæ Femoris pro fracturâ diversâ habentur. Varia attamen in omni fracturæ specie locum habent tum sensilia cum rationalia, æquivoca & univoca. Rationalia aut æquivoca sunt tumor, aut debilitas partis ruptæ, dolor major, vel minor, impotentia partis movendæ. Univoca (b) difformitas crepitatioque suppeditabunt. A visu, tactu, auditu, sensilia desumuntur. Prognosis ex accidente majori aut minori deducitur, simplex minus, complicata majus, completa, id est pars concussa partim fracta, nullum ferè pronuntiat accidens. At ex simplici complicata eveniret, nisi reductione apprimè & secundum artem, peractâ fracturâ, os soliditatem continuam recuperaret.

CURATIO.

Ad curandam fracturam plurima sunt admittenda & hæc est medendi aut reducendi methodus. Primò æger collocetur in statu apto, tum reductioni, cum doloris absentia, si possibile; suum ægrotus, suum adstantes opus faciant, laborante Chirurgo, sint que prius externa ritè comparata.

EXTERNA rite comparabuntur, si fascias, penicilla, laqueos, ferulas, densiores chartas, medicamina aromatica & resolutiva in promptu habuerint. Fascias, penicilla, ferulas, densiores chartas, laqueosque partem reductam continendi gratiâ in statu naturali; medicamina, ut obveniamus accidentibus quæ fracturam sequi possunt, veluti inflammationi, putredini, gangrenæ, sphacelo, pro complicatione morbi.

Opus suum ægrotus, si docilis, placidus; adstantes si prompti; alacres, fideliterque segerant imperante Chirurgo; Chirurgus, si peritus, & doctus, dexteritate tandem commendetur. Munere autem fungetur Chirurgus si primò pilis denudatur Femur, secundò, si doctè cum ipso agentes tirones Chirurcos rexerit, & si, demùm, ipse suas ad-impleverit. Partes ad-implebunt tirones & Chirurgus, si corpus Chirurgus fractum in statum reduxerit naturalem, & aptè, jucundè, & commodè laborem & vires laborantium jussu blando gubernaverit; illi verò extensione & contra extensione, dum operator conformationem operabitur. Extensio fit attrahendo partem fractam versùs extremum inferiùs lineâ directâ, & corpus separatim unâquâque arreptum manû æqualiter & firmiter ambiendo. Contra-extensio verò, partem alteram versùs supernum Femoris eâdem lineâ alliciendo, & hic duplex labor, judicio, conatu, & industriâ gubernatur.

Si Femur superet amplitudine capacitatem manuum quibus ambitur, tunc laqueos illicò adhibere oportet, ut, illis ministrantibus, opus consummatur. Et hæc agendi methodus ad extremitatem inferiorem ossis fracti non malè locum habuerit, si robore musculorum robur tironum superatur.

Opus absolvit Chirurgus, cum partes reductas continuerit. Id autem assequetur mediantibus fasciis quæ diversæ sunt pro diversâ fracturarum specie; in simplici de quâ hic agitur, tres usurpantur quarum duarum priorum latitudo trium digitorum transversalium ut plurimùm, aut circiter determinatur, dum longitudini uniuscujuscumque tres ulnæ assignantur. In usum autem illas sic miserit. Pars fracta circumvolvitur linteo secto usque ad mediam partem, & illud medicamine spirituosò aut resolutivo imbuitur; tunc prima fascia in globum arrepta ita adhibetur ut solutio continui deffendatur, primo triplici involutione; secundo, globus ducitur circa Femur versùs supernam partem, & firmiter sensim sine sensu gradatimquè ab illâ, versùs infimam devolvitur. Secundam eodem in loco fracto fasciam, sicuti, & eâdem cautione, applicat, ac priorem, Chirurgus, circum ambiendo primò Femoris infimam extremitatem, secundò superiorem; cum hâc attentione ut fascia applicetur graduata ad Femori consiliandum volumen æquale, dein penicilla oblonga & densa numero tria veniant auxilio; tertiâ, non latiore sed longiore duabus prioribus postremo arreptâ fasciâ, à genu ad inguen continuabitur eodem modò ac duæ priores; duas, inde, chartas spissiores, intùs & extùs admove & laqueis constringere operæ

pretium videtur, & deffendantur neceffum ab utroque latere Femoris, longiore pernicillo, ipsius ab infernâ usquè ad supernam partem protenfo, & altero tibiali dicto, opeque ferularum cylindricarum virgâ paleâquè constantium, & mantili involutarum. Hos inter & femurpenicilla quadrata, ut par est, sunt admittenda. Omnia demum constringentur circularibus funiculis vulgo quatuor aut quinque numero, aliisque in formam crucis hinc & indè directis ad latera; soleæque inhærentibus, & ex judicio Chirurgi diætâ commendatâ, ad perfectam soliditatem, ossis fractura perducetur. Fieri potest etiam ut sæviora aut minora subsequantur accidentia. Minora sunt dolor simplex, tumor levis; quibus, ut par erit, obveniet Chirurgus. Majora, inflammatio, febris, apostemata, gangrena, convulsivi motus, paralyfis, atrophia; quæ omnia præcavebuntur sanguinis missione, diætâ, remediisque tum generalibus cum peculiaribus, rei natæ accommodatis.

*du Docteur de
Boulogne*
Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. JOANNE
LEBAS, Artium Liberalium & à Collegio Academiâque Re-
giâ Parisiensi Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur *LUDOVICUS-
BENEDICTUS CERVENON* Bituricensis, in alimâ Universitate
Parisiensi Liberalium Artium Magister.

P A R I S I I S.

IN REGIIS CHIRURGURUM SCHOLIS;

Die Sabbati 20â. Novembris, à vesqui secundâ post meridiem ad
septimam. Anno R. S. H. 1762.

P R O A C T U P U B L I C O

E T

MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE P R I E U R, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.